UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Adolescens Academicvs Svb Institvtione Salomonis

Musart, Charles

Dvaci, 1633

Cap. I. Licentia Morum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-49007

Visual Library

Licentia morum effrænis. 11.

Non audit habenas.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Omnes ita viuimus: nobis vt ſemper plurimùm licere velimus: atque hæc ſeruilis morum licentia omnem hominis ętatem corrumpit; Adoleſcentiam maximè, quæ vulpium inſtar ægerrimè aut capitur, aut manſueſcit: vt enim omnia ſibi licere Adoleſcentes exiſtiment, facit efferueſcens ætatis ardor, rerum futurarum incuria, & præceps audacia temerariæ mẽtis: præſertim ſi Auus & cenſor abſint, pecuniæ verò præſtò ſint affatim, cui tãquã reginæ omnia parent: atqui id ferè in Academijs euenit.

Heu acerbiſſimi actus funeſtiſſimam ſortem! Equus rectorem excuſſit, habenas ru-

pit,abitque in pręceps arduus, ac miſer, alijs mox perniciem creaturus, ſibi quoq; exitium: en vt cruentatus abripitur, & mox eheu! poſtquam calcibus obuium quemque protriuerit, efferato dente momorderit, ceruicem ſibi franget.

Auicula quoque libertatis nimiùm amans, dum auolat, configitur, hoc tui animi ſymbolum & vitium eſt, effrœnis Adoleſcẽs, quiſquis maiorum leges, Academiæ sãcita diuina, humanaque, iura omnia, iugi, imperijq; impatiens violas, & quantũ lubet, tantũ tibi licere putas; inſipientiã illã tuã lamẽtabilẽ deflebit mox ſapiens Salomon: Tu ſiccis oculis ruinã tuã vides, & vel ſic perire amas?

IN-

INSTITVTIONVM SALOMONICARVM

PARS TERTIA.

Vitia cauenda Adolescenti Academico.

CAPVT PRIMVM.

Licentia morum effrænis.

MONITVM.

Vitæ licentiam ne consectator.
Maiorum imperia ne excutito.

SALOMON.

Vir impius procaciter obfirmat vultum suum, qui autem rectus est, corrigit viam suam. Prou. 21.

Sapientiam, atque doctrinam stulti

despiciunt. Audi, fili mi, disciplinam Patris tui. Prouer. 1.

Qui diligit disciplinam, diligit scientiam, qui autem odit increpationes insipiens est. Prou. 12.

Via vitæ custodienti disciplinam: qui autem increpationes relinquit, errat. Prouerb. 10.

Stultus irridet disciplinam Patris sui: qui autem custodit increpationes, astutior fiet. Prou. 18.

Viro, qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinus ei superueniet interitus, & eum sanitas non sequetur. Prou. 29.

Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli, ne forte gemas in nouissimis, quando consumpseris carnes tuas, & corpus tuum, & dicas cur detestatus sum disciplinam, & increpationibus non acquieuit cor meum, nec audiui vocem docentium me, & magistris non inclinaui aurem meam. Prouerb. 5.

MEN-

MENTIS SALOMONICÆ INTERPRETATIO.

§. I.

Licentia omnem ætatem, maximè Adolescentiam corrumpit.

HOmo naturâ liber atque ingenuus nihil æquè amat, & sequitur ac libertatem: Verùm quia Deo ipso parere recusauit, non modò alijs hominibus, sed suis etiam cupiditatibus, & vitijs seruire subinde propemodum cogitur, quæ turpissima, indignissimaque est seruitus: Omnium flagitiosissima est eorum libertas, qui humanarum, diuinarumque legum excusso iugo, maiorum iussa aspernantur, & pro libitu, aut potiùs libidine, quicquid audent, perficiunt: rectè enim Amianus, cùm licentiam rerum, & morum corruptricem appellasset, subijcit nullam vacare quæstionem prauitatum apud eos, qui quod velint maximas putant virtutes, veris- Cap. 27.

simeque à Publio Mimo pronunciatum; cui licet quod vult; plus vult, quàm licet.

Quamquam verò hæc pestis in omnem vitam prorepserit, maximè tamen in Adolescentum, Iuuenumque animis grassatur: ij enim præ cæteris ardore quodam ebullientis sanguinis, quasi œstro concitati ineptiunt, ac insaniunt; & quia, propter ignorantiam aut incogitantiam periculorum, audaces sunt, fractis semel honesti timoris pudorisq; repagulis, in omne nefas precipites feruntur. Optimè enim Plato licentiam matrem esse dixit impudentię, pudorem verò adolescens vt semel posuit, conclamatum est: omnia perdidit qui frontem amisit. Atque vbiuis quidem Adolescentes hoc vitio laborant. Sed nusquam alibi, nego vnquam aliàs magis, quàm in Academijs: vbi à parentum curâ, Auorum consanguineorumque censurâ remoti pluribusque dolis ad emungẽdas à matribus pecunias instructi, sociorumque partim exemplo, partim exhortatione inflammati plura, imò omnia, sibi licere iam putant: potissimùm vbi depositâ prætextâ & virgarum metu in Philosophiæ scholis ferè amandato, sibi persuaserint in Academijs

mijs omnium peccatorum patere licentiam, esseque isthic infinitam impudentiæ impudicitiæque impunitatem: quo postquam deuentum, nulli iam sunt satis graues aut satis potentes vel Domini, vel Magistri, qui insanienti equo frænos inijciant, moresve dissolutos coërceant: nam quod Terentius olim bellè expressit, quodcunque inciderit in mentem volet, neq; putabit prauum an rectum, quod petit, fiet. In Heaut.

Tu rem perire & ipsum non poteris pati.
Dare denegabis? ibit ad illud illicò
Quod maximè apud te se valere sentiet;
Abiturum se abs te illico minabitur.

Meritò igitur exclamat hîc aliquis bonus poëta. Statius.

Quem non corrupit pubes effrena, nouæq;
Libertas properata togæ? ceu nescia falcis
Silua comas tollit, fructumque expumat in vmbras.

Adeste quibus ius & potestas; tuque imprimis supreme Academiæ Rector; quadrat hic Lyrici vatis Carmen.

O! quisquis volet impias Horatius l. 3.
Cædes, & rabiem tollere ciuicam:
Si quæret pater vrbium
Subscribi Statuis, indomitam audeat
Refrænare licentiam.

§. II.

Salomon damnat licentiam disciplinæ inimicam.

ID verò nunc agit & molitur Salomon dum vitæ liberioris consuetudinem per se quidem malam damnans eruditioni & disciplinæ ostendit esse hostem atque inimicam. *Vir impius*, inquit, *procaciter obfirmat vultum suum: qui autem rectus est, corrigit viam suam.*

Sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt. Audi, fili, disciplinam Patris tui. Stultitiæ profectò genus est eorum, qui, cùm probè nôrint sibi vsus & consilij parùm suppetere, sapientum atque doctorum monita respuunt, imperata facere negligunt, suæque libidini parere malunt, imò genus istud quoddam est impietatis & peruersæ religionis; ita enim 70. senes locum hunc vertunt. *Irreligiosi & impij sapientiam, & doctrinam despiciunt.* Et sanè quid impium magis ac sacrilegum, quàm crimen eorum, qui acceptum à numine imperandi regendique sacram Maiestatem aspernantur atque violant? Tu, mi bone Adolescens, quem indoles melior, pudor ingenuus,

ætatis

ætatis tuæ decus verecundiæ purpura cohoneſtat, impudentium iſtorum mores ne æmulare, quod Salomon etiam monet. *Audi, fili mi, diſciplinam Patris tui*, Magiſtri, inquam, ac Doctoris: vno enim eodemque nomine Hebræi Patrem & Doctorem iure appellant, quòd Magiſter ſit parens quodammodo, neſcio an quouis parente non etiam dignior, cùm ab Ariſtotele ſapienter ſit dictum primas Dijs immortalibus deberi, ſecundas Magiſtris, tertias parentibus, neque iſtis vnquam paria referri poſſe.

Pergit ſapiens: *Via vitæ cuſtodienti diſciplinam: qui autem increpationes relinquit, errat. Stultus irridet diſciplinam patris ſui: qui autem cuſtodit increpationes, aſtutior fiet.* Docet eum, qui admonitus libenter audito, & dicto obediens eſt, & ſi is quoque nonnunquam (vt fert hominum imbecillitas) ab officio deuiet, viam tamen adhuc ei patere, eamque facillimam, quâ ad vitam, & mentem ſaniorem reuerti poſſit: eum verò, qui rectè monentem auerſatur & à ſe abijcit, aberrare toto cælo, neque vllum errandi finem facere, quòd iam ſibi omne ſapientiæ ac ſalutis iter præcluſerit. Atque hîc ego repentè vehementer me com-

commoueri ſentio. Nam quàm multos in Academijs morum animorumque libertas deprauatos malè perdidit? quàm multos à rerum maximarum conſecutione auocauit? & dolendum ſanè multiſq; lachrymis deplorandum, quòd cùm multos adoleſcentes ingenio, memoria, iudicio fœliciſſimè præditos ad maxima natos factoſque videamus, qui affectam inclinatamque religionem recreare, releuare, ſolari, ſaltem, ſtudio adhibito facilè poſſent, negligant tamen eo tantùm vitio ducti, quòd ſe aliorum voluntati ſubdere, Magiſtris, ſcholarumque legibus obſequi nolint, moleſtiâ ſcilicet aliquâ deterriti, amantioreſque libertatis, quàm boni communis: ad quos pertinere mihi videtur ſimplex ille, ſed opportunus apologus: admirãs lupus benè nitentem obeſi canis, cui in via occurrerat, cuticulam, quanta, inquiebat, fratercule, eſt vitæ tuæ beatitas? tum canis; atqui licet, inquit, eâdem tu quoque fœlicitate potiaris, ſi mecum in vrbem venire voles: placet lupo: at inter eundum aduertit in collo canis attritos pilos: tum quid hoc? ergone iugum tibi ſubeundum, quòd adeò glabra ſit ceruix? Ad hæc canis. Die alligor, vt noctu acrior ſim & vigilantior.

tior. Denique lupus, vade, inquit, amice canis: iam nihil moror seruilem tuam fœlicitatem. Ita fit: veniunt Adolescentes in Academiam, virorum Doctorum laureatas statuas & erectas ad memoriam imagines vident, demiranturque pileos maximorum graduum indices, claras in humeris epomides decora amplissima, obludentes oculis purpuras, honestos fasces, magistras curules: inuadit animum cupiditas adipiscendi huius honoris ac fœlicitatis. Verùm vbi intelligunt antelucanis vigilijs, studijsque in longam noctem protractis grassandum esse ad istos apices, pedem reflectunt belluinæ & agrestis vitæ amantes; libertatemque suam malunt sequi, quàm ad aliorum ductum nutumque vitam exigere: at vide, mi Adolescens, homo sis: belluarum est & quidem effrænatarum, iugum & frenos pati non posse: quamquam etiam feras animantes cicurari & Magistrorum operâ mansuescere, alijsque obsequi videmus: nisi tu fortasse ex genere stolidissim ępecudis sis de quo apud Iobum est istud. *Vir vanus in superbiam erigitur, & tanquam pullum onagri se liberum natum putat:* est huius animalis vt maximus stupor ita præceps in omnem libidinem intemperantia: Iob 11.

rantia: nimirum, quòd ſolitarius ſylueſterque iſte aſinus in deſertis locis agat, nemini vnquam benè parere didicit.

§. III.

Sera plerumque eorum, qui licentiam vitæ ſectantur, pænitudo.

AT quàm poſtea caput ſcalpes Adoleſcens, & vngues demordebis, niſi tempori ſapias: audi Salomonem minas intentantem, *Viro, qui corripientem durâ ceruice contemnit, repentinus ei ſuperueniet interitus, & eum ſanitas non ſequetur. Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli: ne fortè gemas in nouiſſimis; quando conſumpſeris carnes tuas, & corpus tuum: & dicas: cur deteſtatus ſum diſciplinam, & increpationibus non acquieuit cor meum, nec audiui vocem docentium me & magiſtris non inclinaui aurem meam?* Iſta eſt ad extremum licentioris vitæ merces, iſte exitus repentè perire, & quidem caſu maloque immedicabili.

Quare, Academice mi Adoleſcens (permitte enim vt Salomonis ſenſa, etſi aperta ſunt paulò verbis alijs interpreter) ne, obſecro, te ijs adiungas, qui ad te nihil pertinent, ſocijſve improbis impli-

implices, ne meretriculis honorẽ tuum prodigas, infamique illo viuendi genere dedecus atque infamiam tibi compares: ne annos ætatis florentes crudeli, impuro, inquam, amori dones, præcipitans te in atram illam, tetramque (quod textus Hebræus monuit) Belluam, feram cupidinem: ne, per salutem tuam oro, ne te ei tradas, ne ita insanus sis, amabo te: quòd si nihilominus lubet insanire, vide ne tu ipse olim libertatem tuam damnes, cùm in extremam rerum inopiam fœdosque morbos incideris; quo tempore cum Phrygibus serò sapias. Non rarò in Academijs vidimus, nec paucos, post vitam flagitiosâ morum licentiâ exactam, non modò suo suorumque nomini iniustam maculam accepisse: sed ad extremam redactos egestatem, malisq; enectos, vitam reliquam in lachrymis duxisse: quosdam adhuc sanos abiuisse velut è naufragio aut incendio domum, aut in religiosorum hominum cœtus, vbi susceptâ vitæ seuerioris disciplinâ stultitiam illam priorem immoderatamque viuendi licentiam rigidè castigarent. Tu horum exemplo, si cætera nihil mouent sapies, si sapis: gaudebis sanè olim, & quodammodo triumphabis, si morum insolentiam,

tiam generosè tempori castigâris.

Refert Cantipratanus, quæ pro coronide huic loco apponam. Disciplinæ Religiosorum virorum traditus tam genere quàm formâ prænobilis puer, omnes in sui amorem rapiebat: hinc factum, vt à quibus frænos reduci oportet, libertatis potiùs habenæ laxarentur, vnus ferè erat, quem Priorem in claustris vocant, qui insolescentem acrioribus subinde verbis coërceret, qui quidem puer (vt est illa ætas in vtramuis partem cerea atque flexibilis) obsecundare, obsequi, emendatiùs viuere, tandem omnem primæ ætatis laudem referre: iam verò vigesimum circiter annum attigerat, cùm hinc euocatus discessit. quò putas? omninò in cælum: neque hic tamen immemor beneficij extitit: nam vitæ suæ Moderatori per quietem apparens ita est locutus: Gratias ago tibi, Pater, immortales, quòd tuâ industriâ ne mea me insolentia ad inferos deturbaret, effecisti: quæ simul beata anima dixit, splendore tanto refulsit vt totum cubiculum luce, pectus verò Magistri gaudio expleret. Ea tum repressæ insolentiæ tum accepti fræni gratia extitit. Nihil tum aut priores minæ aut hæ blanditiæ satis ad mentem re-

reuocant, mi Adolescens? adhibebo igitur nunc pro extremo, & penitissimis medullis fixum relinquam stimulum, quem non excuties, arbitror: nisi ad imprudentiam illam tuam impudentiam quoque singularem adieceris. Quis porrò ille stimulus, aut, si dici mauis, domandæ iuuenilis equi insolentiæ potentissimum effrænum? nullum scilicet à numine offenso supplicium homini posse acerbius infligi, quàm si in Adolescentia pręsertim suis cupiditatibus ac libidini tanquam immanissimo hosti dedatur, quid hostem dico? dicere volui, tyranno, crudelissimoque carnifici tanquam reus addictus iam, omnibus mox malis excruciandus atque mactandus. Peccauerat sanè olim populus Israëliticus grauissimè, quòd relicto veri numinis cultu diuini iugi impatiens ad Idolorum superstitionem desciuisset: non inuenit Dei offensi æquissimus furor pœnam acerbiorem, quàm vt minas illas iactaret. *Non audiuit populus meus vocem meam: & dimisi eos secundum desideria eorum; ibunt in adinuentionibus suis:* & verò ita factum est, quia nequidem minæ à flagitio deterrere potuêre, abire, perireque permissi sunt. Par quoque extitit Ethnicorum quorundam philo- Psal. 80.

philosophorum in simili scelere pœnâ, *Qui cum cognouissent Deum non sicut Deum glorificauerunt, sed errauerunt in cogitationibus suis.* Quid postea? supplicium euulgat idem, qui flagitium iam publicârat S. Paulus Doctor gentium: quid verò ille? *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum* in quæ putas? *in passiones ignominiæ*? in quàm fœda, Deus immortalis! atque nefanda flagitia? pudet vel meminisse, adeo grande est istud malum, vti dicere cœperam, se sibi relinqui, permittique absque repagulis diffluere in omnem vitæ effrenatæ licentiam: quo vno ex corruptissimo fonte infanda eaq; non pauca flagitia profusissimè dimanant, proinde sicut Medicorum illa indulgentia, quâ ęgrum abijciunt sinuntq; ijs rebus abuti, quibus allubuerit, desperatio quędam est salutis: ita planè de te conclamari existima, quisquis es, cùm permitteris ferri, quocunque te insanæ tuæ appetitiones abripiunt. Boues ac vitulos videmus à lanionibus permitti luxuriari, per prata iuuenescere, & quò cupiditas traxerit, ferri impunè, cùm eos ad futuram propediem lanienam, macellumque destinent, quòd ita meliùs nitescant, pinguescant ac saginentur. Legimus prę-

Ad Rom. c. 1.

Acost. in Mexi.

terea

terea quorumdam Barbarorum hominum in Mexicanis morem fuisse, vt quos bello cœperant, ijs delicias luxumque facilè indulgerent, modò ne ex potestate elaberentur. Futurum scilicet breui, vt optimas illas victimas iugularēt, exenterarent, postremò dijs suis maioribus deuouerent tanquam grandiores hostias. Ita malus Dęmon barbarus ille animarum lanio, si quos ad vitæ impurioris libertatem sese animare audierit, hisce verborum blanditijs, *Impleamus nos vino, coronemus nos rosis, vbique relinquamus signa lætitiæ, nullum sit pratum quod non pertranseat luxuria nostra* (quæ licentiosorum adolescentum vox esse solet) non modò humani generis hostis ille non reuocat, aut impedit: sed multò etiam vehementiùs exstimulat, vt id ita peragant, vtque eò pinguiores hostiæ Dijs Inferis, si Dij nominandi sint, breui horrendo ritu cadant. Hæc cùm cogitaret filius ille Sidrach verè sapiens, tam sollicitè tamque anxiè precabatur: *Domine Pater, & Deus vitæ meæ, aufer à me ventris concupiscentias, & concubitus concupiscentiæ ne apprehendant me, & animæ irreuerenti & infrunitæ ne tradas me:* id est ne deseras me, neve patiare, vt abiecto omni pudore, & sensu, quasi homo

Sap. 2.

Eccl. c. 23.

ſtolidus gulæ, veneri, cæteriſque liberioris vitæ vitijs me mancipem: nihil enim periculoſius mihi accidere poſſe video, quàm ſi volens, neque coërcitus, liberè inſaniam. Idem tu tandem ſeriò, mi Academice Adoleſcens, deprecare, niſi ſerò pœnitere, & planiſſimè ſemel perire decreueris.

AD LVPINVM EFFRÆNEM Adoleſcentem.

HIc noſtræ gradus eſt ſupremus artis,
Quòd terror nemorum leo, atque tigris
Auxerunt latium iuges triumphum:
Quòd (mirum hoc magis inſolenſque) mores
Bruta iam didicêre non ſuetos.
Audimus Cytharamque, barbytonque
Simias pedibus ferire doctis,
Dentesque ad numeros ſalire eburnos.
Vidi ego leporem, fugax, inerſque,
Et pauens animal, crepantis ęris
Vallatam ſonitu ferire pellem.
Et verum ſimulare tympaniſtam.
Credis? ſcilicet orbe nil in iſto,
Tam non mite, quod arte non Magiſtra Diſcat

Discat ferre manum, patiq́ue legem.
Tu, Lupine, rebellis, acer, exlex
Magistri atque scholæ iugum recusas,
Et fractis vt equus ruens habenis
Queris irremeabilem ruinam.
Inhumanus es, ô Lupine, quando
Humanos fugis, exuisque amores,
Et sæuos capis, induisque mores,
Mores nempe feris magis ferinos.

ORATIO.

Ad refrænandam improbæ vitæ licentiam.

DOmine IESV CHRISTE, qui è sinu Patris in terras descendisti: vt exinaniens temetipsum, seruiq́ue formam accipiens ærumnosissimam nostræ mortalitatis seruitutem seruires, sicq́; nos à tyrannicâ Dęmonum seruitute in libertatem Dei assertos vindicares: fac per gratiam tuam: vt discens exemplo tuo mitis esse & humilis corde, primùm sub potenti manu tuâ me humiliem, tuisque sanctissimis seruitijs ceruicem lubens submittam: (iugum enim tuum

ſuaue eſt, & onus leue) tum verò maiorum quoque morum voluntati & imperijs rebellem voluntatem meam tui cauſa ſponte ſubijciam: cùm enim ſeruus ſim, mancipiũ, & omni alio iure tuus, cur tanquam filium onagri natum me putem, peſſimoque meo malo effrænis & exlex viuere velim? Verùm quia iugi impatientiſſima eſt hæc ætas mea, in chamo & fræno maxillas meas, fortiſſimâ inquam tuarum gratiarum vi mentem conſtringe, ne tanquam equus ac mulus, quibus non eſt intellectus, in omnia vitia præceps ruam, cæloque ipſo excidam: quod vt mihi euenire ne patiaris, Bone IESV, per ipſum ſanguinem tuum te rogo & obteſtor. Amen.

SYM-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN